MEDICAE FACVLTATIS DECANI
HERMANNI FRIDERICI TEICHMEYERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMIAE CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI, IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLIN. AC REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII

PROGRAMMA INVITATORIVM

DE

PHOSPHORIS
TERTIVM

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE

OPHTHALMIA

DIE XXVII. AVGVST. M DCC XXXII.

HABENDAE

PRAEMISSVM

IENAE, DOMINICA XI. POST TRINITAT.
M DCC XXXII.

LITTERIS MVLLERIANIS.

QVid lucis in lapide Bononienſi calcinato materia atque cauſa ſit, de eo dudum a viris doctisſimis diſputatum fuit. Celeberrimus MENZELIVS calorem, vel ignem innatum, & realem, in hoc ſubjecto latitantem, pro eſſentiali lucis cauſa venditat. Veruntamen hoc ad omnes noctilucas aëreas vix applicari poteſt. Lucent quidem homines, lucent piſces, lucent vermes, aliaque animalia, in quibus calor vitalis, & ignis innatus exiſtit, ſed lucent quoque barometra, aliæque machinæ phoſphoreſcentes mediis in aquis. Lucent Phosphorus Balduini, atque Bononienſis, radiis ſolaribus expoſiti hyberno tempore, etiam gelidisſimo. Quis ideo, poſitis his circumſtantiis, actualem calorem in talibus corporibus lucentibus, oſtendere valet? Nec aſſerere poſſumus cum celeberrimo Chemico Pariſino, Dn. L' Emmeri, quod ſulphur hic abſolute matrix lucis ſit. Eſt quidem regula, quæ in multis rebus locum invenit, *quidquid ardet, & lucet, de natura ſulphuris participare*. Veruntamen in lapide Bononienſi hæc regula locum vix invenire poteſt; quia in hoc lapide, & aliis ſimilibus, nempe belemnite, per calcinationem ſulphura comburuntur. Et ſi rem accuratius penſitemus, videbimus, lapidem Bononienſem conſtare ex ſulphure plurimo groſſo fæculento combuſtibili

minerali, id quod obſervarunt omnes ſcriptores; inſuper in hoc lapide ſimul deliteſcit peculiare quoddam ſal nitroſum, quod calcinatione & deflagratione, cum ſulphure minerali, mutatur in ſal adeo acre & cauſticum, ut etiam ex eo, annotante HOFFMANNO, in *Clave Schrœderi*, poſſit parari pſilothricum, ac ſatis potens cauſticum. Hoc ſal fixum non ſulphureum ſimpliciter, ſed potius arſenicale, conſtituit principium, & partim a ſale lucido marino, & quidem remote, proxime vero ex ſale nitroſo lucido-originem ducit. Quemadmodum enim acidum nitroſum ſalino-ſulphureum in corpore cretæ alcalico faceſſit in Balduini Phoſphorum; Ita acidum ſulphureum minerale lapidis Bononienſis, cum proprio ſuo atque domeſtico alcali, abit in corpus ſalino-terreum, in quo ſequeſtrato ſuperfluo & impuro ſulphure, ſal prodiens, innatam lucis ſcintillam, ab externa luce excitatam, prodit, & in tenebris conſpiciendam exhibet. Et ſicuti belemnites, & omnes lapides ſelenitici puriores, ſimilia, & cum lapide Bononienſi convenientia principia continent: Ita, calcinatione mediante, ad Phoſphorum adaptantur. Si vero ſal nitroſum in eis deficit, & poſt calcinationem ideo lucula non apparet, ſecundum methodum univerſalem Illuſtr. Dn. Du Fay ſpiritu nitri ſolvuntur, & ita in Phosphorum, ſive materiam luciferam, certo certius transmutantur, quia per artem hic id additur, quod natura hiſce lapidibus denegavit. An vero luceat lapis calcinatus per vim lucis externam, an contra propria luce effulgeat, jam inquirendum. Communis eſt ſententia, quod lapis Bononienſis, & Phoſphorus chemicus Balduini ſint magnes lucis, vel matrix, quæ radios lucis ſolares in poros recipere, ad tempus detinere, & in loco tenebricoſo conſpiciendos reddere valeat, quæ ſententia a multis etiam eſt conceſſa: Aſt Dn. Cohuſen aliam, & longe vero ſimiliorem dedit rationem, quando placita Philoſophorum de Phosphoris, in Exercitatione ſua de Luce Phosphororum, Part. II. Cap. II. modeſte, ſolide tamen, ad ſcrutinium revocavit. Hic eruditisſimus vir ſtatuit, lucis eſſentiam in motu materiæ ſubtilisſimæ conſiſtere, ejusmodi particulas, ſumme mobiles, & acti-

vas in lapide Bononienſi, & Phosphoro Balduini, admittit, quæ ad ſolis lucem commoventur, atque expanſæ, lumen in tenebris producunt, quod lumen vero modo per breve temporis ſpatium, v. gr. ad horæ quadrantem, durare, poſtea autem evaneſcere ſolet, niſi a nova luce ſolari ad motum denuo dictæ particulæ excitentur. Etenim lapis, per calcinationem a ſulphure ſuo crudiori, atque impuro, liberatus, talem acquirit pororum texturam, ut ætherem, particulariter modificatum, & ad lucem producendam aptum, libere transmittat, qui æther, in poris reſidens, ab æthere luminoſo, ei circumfuſo, talem facile impulſum & motum obtinet, qualem hic ab ipſa luce ſolari ſuſcepit. Hæc omnia contingunt in recenter calcinatis Phosphoris, quorum poroſitas ita adaptata eſt, ut lucidam ætheream materiam contineant, quæ a luce ſolari commota motum ſervat in tenebris per aliquot momenta, ceſſante vero motu materiæ ætheræ, in poris Phosphororum exiſtentis, corpus luminoſum palleſcere incipit, lumenque extingvitur. Notanter dixi, quod lumen vividum & ſplendens modo in recenter præparatis Phosphoris viſibile fit. Nam hæc proprietas non diu durat, ſed finitis aliquot diebus virtutem lucem recipiendi tum Phosphorus Bononienſis, tum Balduini, tum alii amittunt. Cum nempe aer ambiens, ſulphureus, atque ſalinus, ſtatim mutet hanc peculiarem, per calcinationem acquiſitam, poroſitatem; ideo æther non, uti antea, poros permeare, & in illis commoveri poteſt, quamvis etiam ſolis meridiani vividisſimis radiis exponantur. Si vero nova iterum inſtituatur calcinatio; heterogenea omnia, cum aëre humidiori allata, effluvia iterum extinguuntur, ſequeſtranturque, & vis antiqua lucifera reſuſcitatur, quia calcinatione omnia heterogenea, inprimis ſulphurea, ſubiguntur, deprimuntur, & fugantur, ſalia contra extricantur, acuuntur, & exaltantur. Hæc, jam allata, experimenta oſtendunt, quod vis lucifera potius a ſale, quam a ſulphure, in his indicatis Phoſphoris petenda ſit. Id quod probant inſuper Pyrophori chemici, qui ſi recentes ſint, ſtatim ab igniculis aëreis aëris liberioris accenduntur, & in prunas convertuntur. Sed & hæc vis inflammabilis non diu durat, quoniam vix ſatis exquiſi-

 te ab

te ab aëre intrante defendi poſſunt. Si vero Pyrophori, quaſi mortui, & omni activitate plane privati, denuo calcinentur; quoque vis inflammabilis demtis aëris humiditatibus, exacte, & ad votum reſtituitur.

Hæc præmittere volui occaſione clarisſimi medicinæ candidati,

IOANNIS SAMVELIS PILLINGII.

Primam lucem aſpexit Franckenhuſæ, qui pagus eſt quidam, in Electorali Saxonia ſitus, anno hujus ſeculi quinto, die vigeſimo tertio Septembris, patre viro prænobilisſimo b. m. IOANNE SAMVELE PILLINGIO, Not. pub. Cæſar. Generoſisſimorum dominorum de ZEHM Actuario judiciali, & rerum oeconomicarum adminiſtratore, matre autem MARIA ELISABETHA, viri reverendi b. Julii POELIZII, Paſtoris Hermsdorffii, filia.

Optimi hi parentes omni cura eo allaborarunt, ut primis annis animus pietatis & bonorum artium fundamentis imbueretur. Creſcentibus vero annis noſtrum miſerunt in ſcholam Crimmitſchavienſem, & curæ Rectoris meritisſimi, Dn. SEYDLIZII, crediderunt, cujus fidelem inſtructionem grata agnoſcit mente.

Ad ulteriorem ſtudiorum culturam acquirendam, jubente beato parente, anno 1720. muſas Altenburgenſes ſalutavit. Vbi a t. t. Directore, Dn. M. WILISCHIO, jam viro ſumme reverendo, S. S. Th. Doct. & dioeceſeos Freibergenſis Superintendente, in numerum alumnorum receptus, & dein fidelisſimam inſtitutionem præclarisſimorum, & de re litteraria optime meritorum Illuſtris Gymnaſii Fridericiani præceptorum, Dn. Direct. ACKERI, Dn. M. FRISII, & Dn. M. STERNII Profeſſ. b. m. Dn. M. WEBERI, Conrect. jam Profeſſoris, beati WAHLII, & Dn. GSCHSWENDII, Sub-Conrect. expertus, eam gratis prædicat elogiis.

Valere iusſis muſis Altenburgenſibus anno 1726. Salanam no-

noſtram petiit, & a me, t. t. Pro-Rectore, die nono Aprilis, albo ſtudioſorum inſertus eſt.

Philoſophicis diſciplinis operam primo dedit, & docentes audivit virum ſumme reverendum & excellentisſimum, Dn. D. SYRBIVM, Curſum philoſophicum explanantem, & Excellentisſimum Dn. WIDEBVRGVM, diſciplinas mathematicas exponentem.

Medico in foro Illuſtris Dn. Conſiliarii aulici, & Archiatri, Facultatisque medicæ ſumme venerabilis Senioris, WEDELII, doctrinas ſemiotico-pathologicas, de methodo medendi, febribus, doloribus, inflammationibus; obſtructionibus, fluxionibusque, magno cum emolumento hauſit.

Haud parum quoque profecit ex Excellentisſimi & Experientisſimi Dn. Dr. & Profeſſ. HILSCHERI prælectionibus anatomicis, botanicis, de præſcriptione formularum, ſemiotica, & de vita, & ſanitate, per ſalubrem diætam conſervanda, ad Ill. HOFFMANNI Philoſoph. corp. human. Sect. II.

Diligenter quoque, & cum fructu, audivit Excellentisſimum & Experientisſimum Dn. Dr. HAMBERGERVM, P. P. O. Celeberrimum in phyſicis, pathologicis & ſemioticis.

Viſitavit inſimul ſedulo lectiones Dn. Conſiliarii, & P. P. Extraord. LOEBERI, in Inſtitutiones, & Aphoriſmos Bœrhaavii, inſtitutas.

Cum & ipſe in teſtimonium citer, ſincerum id dare par eſt, & morum compoſitorum, & eruditionis ſolidæ, & pietatis, & diligentiæ. Frequentavit ſedulo publicas meas lectiones anatomicas, oſteologicas, myologicas, angiologicas, & ſplanchnologicas item & botanicas. Interfuit quoque quinque demonſtrationibus, & ſectionibus publicis anatomicis cadaverum, tam maſculini, quam fœminini generis, item ſectionibus privatis forenſibus, & practicis, a me ſuſceptis. Privatim me docentem audivit phyſicam, anatomiam, phyſiologiam, chemiam, chirurgiam, materiam medicam, doctrinam de formulis, pathologiam, & praxin ac, medicinam legalem. Comes quoque laborum meorum fuit per ſexennium fere in chemicis, & praxi, tum medi-

ca, tum chirurgica, & ubique probitatem ſuam, diligentiam, & fidem comprobavit.

Cum ergo per ſexennium, & quod excurrit, tantos feciſſet in ſtudio medico profectus, nunc ad finem exoptatum ſtudiorum academicorum properat, ac nuper decenter nomen ſuum Facultati noſtræ dedit, quæ eum quoque lubentisſime in numerum candidatorum recepit. In examinibus conſvetis eruditionem ſuam ſufficienter probavit. Reſtat modo inauguralis Diſſertatio, quam meo ſub Præſidio, die 27. Auguſt. de *ophtalmia* habebit. Hunc vero actum diſputatorium ut dicto die Pro-Rector Academiæ Magnificus, Illuſtrisſimi S. R. I. Comites, aulæ, atque academiæ proceres, & omnes, qui arti medicæ favent, honorifica præſentia condecorare, & ſolenniorem reddere non dedignentur, eſt quod ſub Facultatis ſigillo decenter, perofficioſe, & peramanter rogo. P. P. Dominica XI. poſt Trinitat. M DCC XXXII.

L. S.